



2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.

60.

MODERANTE ARCHIATRO *செவ்வாசு*

DISPUTATIO MEDICA
DE
AFFECTIONE
HYPOCHON-
DRIACA,

QVAM
Indultu Gratiofissimæ Facultatis
Medicæ

in
ALMA LIPSIENSI
PRÆSIDENDO

VIR AMPLISSIMUS ET EXCELLENTISSIMUS
DN. PAULUS AMMAN,

Vratisl. Siles. Phil. & Med. D. Facultatis Med. Assessor,
Colleg. B. M. Virginis Collegiatus

&
RESPONDENDO
ARETINUS RUPITIUS, è Saxonia

Ascanius, Philater, Autor

publicè & placidè

Doctioribus examinandam proponunt

H. L. Q. C.

Ad diem 29. April.

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,
ANNO M. DC. LXIV.

MODERANTE ARCHITRO
DISTILLATA
APPHON
HYPOCHON
DRIACA
Indulm Granofistans
Medice
KX
D. N. P. A. L. L. I. S. A. M. M. A. N.
Collect. M. N. G. M. C. O. L. L. E. C. T. I. O.
ARRETTIVUS
Docordis

Handwritten scribbles



JOVA JUVVA!

Præfamen.



Um nihil in tota rerum universitate desiderabilius dici, aut excogitari possit, quàm inculpata sanitas; Credo equidem, fore neminem adeò mente captum, qui cum Cræsi divitiis, aut auriferi Tagi, & Pactoli arenis sanitatem sit commutaturus: Sine illa enim πάντ' ἐστὶν ἀνωφελεὴ ἀνθρώποισιν, ut Poëta canit, nec quicquam boni, vel recti in ullo vitæ genere expeditur, quinimo, nullus Regum, civium aut denique agricolarum sine tanto sanitatis bono, ne dicam, felix sed aut alacris esse potest. Hæc, cum ita grata & exoptata sit omnibus, meritò exinde ars Medica, quæ illam salvam non tantum conservare, sed & labefactam restituere allaborat, & satagit, inter ποιητικὰς utilisissima & præstantissima erit censenda: Crudelissimos enim & infensissimos sanitatis & vitæ hostes, morbos puto, propellit & quasi enecat, ut homines vitam sine morbis incolumem ad præscriptum à DEO terminum possint prorogare. Magni admodum habuerunt olim Medicinam Veteres & ejusdem Cultores, inde & Homerus: Ἰητὴρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντιᾶξί, ὅ αἰσίων. Vir Medicus, inquit, multis aliis est dignior. Nec immeritò quidem: Experimur enim & hoc die, quòd unus sæpè Naturæ Consultus arte suâ plures etiam quàm mille hominum à morbis & morte liberet, ac pristinæ sanitati restituat. Mitto jam encomia numerare Medicinæ, taceo ejus utilitatem & jucunditatem; Auctus hæc vice saltem sum de uno inter tot & tantos optatissimæ sanitatis hoste, decimum quemq; Literatorum hodiè affligente, affectione scilicet *hypocondriacâ*, in cujus naturam & proprietatem (quantum summus Archiater concedet,) pro virili inquiramus, brevitati tamen ante omnia studentes.

§. 1.

EXaminaturi autem *malum hypochondriacum* ne cœco, quod ajunt, impetu feramur, à Nomine initium disputationis nostræ faciemus, cum vocis explicatio ad rei cognitionem sit quasi quædam præparatio.

§. 2. Nomen suum *passio* seu *affectio hypochondriaca* desumpsit à loco natali, qui *hypochondrium*, seu *regio hypochondriaca* audit, & illa est humani corporis pars, quæ sub costis spuriiis adriiia utrinque protenditur, non solum musculos, sed & interna viscera complectens, ὑποχόνδριον vero dicitur, quia τοῖς χόνδροις ὑποκείται i. e. cartilaginibus subjacet costarum sc. spuriarum, χόνδρῳ enim Latinis cartilagine[m] notat.

§. 3. Varias à variis hic morbus accepit denominationes. Dicunt eum Latini *malum hypochondriacum*, *obstructionem mesenterii* & *hypochondriorum*, *morbum præcordialem*, *Literatis familiarem*, *passionem* vel *affectionem hypochondriacam*, quidam (sed non accuratè) *melancholiam hypochondriacam*: Chymici *ῤυμ hypochondriorum*, quo nomine tum morbum, tum causam morbi indicare voluerunt.

Græci ὑποχονδριακὸν καὶ φυσῶδες, ἀναντικὸν καὶ μέλα νόσημα.

Arabes morbum mirachialem i. e. in abdominis regione situm, mirach enim quibusdam abdomen, aliis mesenterium denotat.

Germani, die Schwermüchigkeit / Miß-Beschwerung / das mißigte Herstrücken / oder / die Kranckheit unter den tursen Neben.

§. 4. Dantur tamen & alii hypochondriorum morbi, qui partibus in iis contentis obtingunt; Et sic generaliter *affectio hypochondriaca* quamvis dispositionem p. n. partium in hypochondriis contentarum significabit; proinde misis aliis, specialiter intelligimus hanc, quæ Dioeli Carystio Antigoni Asiæ Regis Archiatro, πύθῳ φυσῶδες hoc est, affectus flatuosus dicitur.

§. 5. Inter Latinos sunt, qui morbum hunc *melancholiam hypochondriacam* dicunt, an verò satis rectè, meritò dubitamus: Experientia enim edocet, plurimos nostro hoc morbo laborare, qui

qui

qui melancholia non afficiuntur, & vice versâ, multos melancholia, qui tamen non affectione hypochondriacâ affliguntur, differunt proinde prout latius & angustius, & affectio hypochondriaca latius sese extendet, quàm melancholia hypochondriaca. Hinc observes, melancholiam hypochondriacam ex symptomate læsæ imaginationis superveniente, morbum inveteratum & factum, affectionem verò hypochondriacam non semper factum, sed fientem etiam morbum denotare; Notes insuper degenerare sæpissimè in melancholiam & non rarò hanc cum illa conjungi.

§. 6. Ut eò propius ad hujus mali naturam deveniamus, ponamus definitionem, quæ talis erit: *Affectio hypochondriaca est dispositio p. n. partium primæ & secundæ coctioni destinatarum, orta à colluvie viscidorum & fœculentorum, uno verbo, vitiosorum humorum in vasis venosis & arteriosis viscerum, potissimum tamen lienis, stagnante.*

§. 7. Genus in hac definitione est *dispositio p. n.* Duplicem autem in hoc affectu morbum concurrere observamus: alterum *malæ conformationis*, alterum *intemperiei*; morbus confirmationis & quidem in defectu meatuum & cavitatum est obstructio vasorum ab humoribus fœculentis, viscidis, crassis & quos Chymici dicunt, *ῥεῖς*; sæpe melancholicis, interdum puitosis & biliosis aut serosis. Hi quandoque in vasis impacti quasi solent hædere, ut varicosa & nodosa fiant, eo ferè modo, quo venæ varicosæ fieri videntur in senum rusticorum cruribus.

§. 8. Prout non unus humor: ita nec una solet adesse intemperies, sed vel frigida vel calida; Illa adesse deprehenditur, si ventriculi & aliorum viscerum calor natus depellitur ab intemperie alterius visceris nimis calida. Sic v. g. calidum innatum ventriculi ab hepatis vel etiam lienis naturali & ascititia caliditate sæpè imminuitur, unde evenit pòst, ut ventriculus parùm concoquat, & chylus crudior relinqvatur, qui dein ad hepar, vel sangvificationis officinam delatus, in sanguinem laudabilem & bonum converti nequit, & hac viscerum *ἐντίωραξις* curationem ut plurimum reddit difficilem; Item si sputi & salivæ copia, difficultas & tarditas concoctionis, ructus acidi & crudorum succorum vomitus adsint.

A. 3.

§. 9. Car.

§. 9. Calida si adest, venæ mesaraicæ, pylorus & ipse lien a-
liæq; partes φλογώσαι quâdam afficiuntur, & hujus inflamma-
tionis notæ solent esse biliosi & æruginosi vomitus, rerum frigi-
darum delectatio, æstus in hypochondriis, ructus nigrosi &c.

§. 10. De loco affecto s. primaria hujus mali sede, in qua ma-
teria morbifica imprimis hæreat, dissentientes planè sunt Medi-
corum opiniones; Nos ut breviores simus, ab illorum parte sta-
mus qvî *lienem*, non quidem secundum solum suum parenchy-
ma, sed potius secundum vasa pro subjecto habent, requiritur
enim locus aptus, unde humores facilè hinc inde fluere & reflu-
ere possint; Et hic erit ramus venæ portæ, arteria cœliaca, ra-
mus mesentericus venalis & arterialis. Quamquam & alias par-
tes per essentiam sæpius affici non diffiteamur, quæ sunt, *mesen-
terium, ventriculus, hepar, omentum & pancreas*, inter has enim
tantus est consensus ratione vasorum, ut facillimè humores &
vapores invicem communicare possint. Sic Lien ventriculo
communicare potest, causam hujus mali per vas illud famo-
sum, breve dictum, licet non unicum, sed plura in Anatomia
conspiciantur. Omentum item, ratione vasis Epiploidis & Ga-
stroepiploidis. Et ductus ille à *Wirsungio* in Pancreate primùm
inventus creditur communiter eructare excrementa talia in in-
testina &c.

§. 11. *Cavitatem* illam in sinistro hypochondrio sub diaphra-
gmate è ventriculi, omenti, coli & viscerum connexu ortam, exi-
tumque non habentem, sed ita conclusam, ut flatus etiam &
aquam continere possit, per *δευτεροπαΐθειαν* non raro quoque
affici statuimus; Est enim apta hæc cavitas, è vicinis visceribus
humores, & flatus quosvis obstruentes recipere. Hinc sæpius
evenit, ut lien vel vicinum colon ob flatus & vitiosos humores
incusetur, cum tamen salvis iis, vitium in hac cavitate hæreat,
quam describere videtur Hipp. sect. 7. A. 54. Et tales hypochon-
driaci dicti fuerunt *Ventriloqui* ob sonitum, & murmura in ea-
dem cavitate contenta.

§. 12. Unus igitur & certus morbi hujus locus difficillimè
erit statuendus, cum morbus, vel hanc partem vel illam infestan-
do cum symptomatibus maximè variet. Per consensum quan-
doque

doque in nostro affectu *cerebrum*, *cor* & *pectus* afficiuntur; *Cerebrum* catarrhis aggravatur & ἀγρυπνία excruciat, cor à fuliginibus & vaporibus angustatur & palpitatur, unde non rarò costæ dislocantur; *Pectus* denique constringitur & dolore afficitur.

§. 13. Devenimus jam ad causas tum primarias seu proximas, tum secundarias seu antecedentes. Causas primarias in hoc morbo humores vitiosos esse, pleriq; & qui saniores hac in parte videntur Medici consentiunt; sed quos & quales, in hoc differunt. Nos, ne prolixi simus, eos statuimus non unius generis, sed varios sc. biliosos, pituitosos, crassos, viscidos, serosos, Freos, sæpius melancholicos, in liene ejusque vasis, venis mesaraicis, aliisve hypochondriorum partibus collectos, qui dum in illis quasi impacti hærent, immediatè obstructions causantur, & malum hoc producant.

§. 14. Secundariæ & quæ primarias antecedunt, easque quasi gignunt, plurimæ sunt, partim internæ, partim externæ causæ.

§. 15. Internæ sunt: *Ventriculus debilis* & δυσχερασία ejus, quæ crudos & imperfectos humores generat; *Intemperies* viscerum maximè hepatis & lienis & ad obstructions apta dispositio, venarum denique & arteriarum exilitas & angustia, in quibus facillimè ejusmodi humores persistere possunt. Et hæc quidem ex mente Dogmaticorum. Chymici assatos, tartareos & acres, calcinatos fervescentesque humores accusant, & pro immediata hujus affectionis causa habent, & ne frustra quid dixisse putentur, varia ex Doctrina Fermentationis, Præcipitationis adducunt exempla & autoritates, varios etiam autores qui de fermento scripserunt, ut Billichium, & Willisium, aliosvè, qui observarunt, humores ab hypochondriacis quibusdam ejectos, a quæ fortis s. Oli instar fuisse, ut lintea etiam corroserint, cuius rei experimētū habuit quoque Decanus noster *Experientissimus*. Sed sciendum, quod hi, Chymici scil. nihil novi inferant. Jamdudum enim talis consensus inter Galenicos & Spagyricos institutus, ut hinc hoc labore superfedere valeamus. Quando enim dicimus hinc, peccare in hoc affectu vitiosos humores nemo tam simplex erit, ut credat nos solum qualitates pri-

mas

mas intelligere; res itaque clara, & clarior reddi potest ex doctrina hermetica, modo non excedantur limites, & quaeratur nodus in serpe.

§. 16. Externæ pleræque ad sex res non naturales referri possent, & inter illas primo loco est *aër*, si sc. sit turbidus, uliginosus, fuscus, nebulosus & vaporosus, vel sensibilibiter vel insensibilibiter à nobis attractus, tum etiam ejusdem nunc calidioris, nunc frigidioris ad corpus appulsus.

§. 17. Tùm *cibi*, sanguinem impurum & vitiosos humores generantes, hi sunt: panis nauticus & furfuraceus malè fermentatus, ova indurata, legumina pleraq; pisces sine squamis, visceri & palustres, aves in stagnis & paludibus viventes, casei inveterati, carnes ferinæ plurimæ omnesque sumo induratae, placenta nimio butyro confecta & calidè assumpta, lacticia denique omnia. *Potus*; cerevisiæ ex aquis impuris & corruptis cocta, turbida, fœculenta, nondumq; defæcata: Mustum, vinum mucidum, nigrum & (quale Jenense circumfertur) *Preum*, beluina item potatio, &c.

§. 18. Deinde *excretiones* in primis sanguineæ, Veneris usus immodicus. *Retentiones* excrementorum alvi, ut & aliorum humorum sive excrementitiorum sive aliorum evacuationes intermissæ.

§. 19. Pòst *Somnus* nimius & diuturnus, crudos enim & pituifos humores cumulat, spiritus obscurat, stuporem menti infert, excrementa detinet, torpidos reddit, splenemq; gravat. *Vigilia* etiam intempestivæ, lucubrationes, quæ studiis impenduntur, nocturnæ & immodicæ; Inde cruditates gignuntur, spiritus dissolvuntur & coctiones impediuntur.

§. 20. Tandem *motus* nimis violenti, & qui mox à cibo capto fiunt, ejusmodi sunt: Saltatio, equitatio, pilarum lusus; Nam hi calorem ad extra pellunt, ut cibus crudus relinqvatur, nec perfectè concoqui possit. *Quies* etiam continua, otium ignavum, jejunia, consuetorum exercitiorum omissiones & vita præprijis sedentaria hunc morbum adjuvat. Per sessionem enim nimiam vasa in pancreate & mesenterio adeò comprimuntur, ut nec suo officio fungi, nec, quod debebant, deferre possint: Hinc glandu-

glandularum, tum pancreatis, tum mesenterii, usus sæpe fit irritus, ut compressioni minimè ita resistere possint, sed ipsæ potius morbosæ fiunt, & vasa comprimunt, quæ fulcire debebant. Eodem prorsus modo venæ lacteæ chylum ex intestinis exsugere, & ad epar distribuere cohibentur; Et sic ad generationem affectionis hypochondriacæ multum facere videtur earum obstructio. Totum imò corpus nimium sedendo segne redditur, efficiturque ciborum concoctio & distributio minus felix, humores it. *Frei* in visceribus accumulatur.

§. 21. Denique *animi pathemata*, quæ ultimo loco inter res non naturales numerantur; ut ira, metus, tristitia & uno verbo omnia, quæ perturbationes animi dici possunt, hunc affectum gignere & adaugere perhibentur.

§. 22. Possunt hisce & aliæ externæ causæ, quæ necessariò non agunt, addi, quales sunt, tempora anni, in quibus humores maximè moventur, loca uliginosa, maritima, exhalationibus & eluvie fluviorum, nec non aliis inquinamentis plena, balnea etiam immodica, & mox à sumpto cibo instituta. Verùm illa omnia nec in præsentia succurrunt, nec eas longiori serie enumerare instituti est nostri, sufficiat plures & frequentiores antecedentes causas *mali nostri hypochondriaci* delibasse.

§. 23. Differentia affectionis hypochondriacæ triplex potissimum est, ratione videlicet generis, subjecti, & Causarum.

§. 24. Ratione generis malum nostrum aut erit mitius aut incipiens, aut gravius & inveteratum, vel si medicè loqui gestias, morbus aut fiens aut factus; Fiens, qui altas radices nondum egit, & remotâ causâ facilè etiam removetur; Factus verò, qui causis etiam remotis, persistit, nec iis sublatis, tollitur.

§. 25. Ratione subjecti aut loci affecti affectus noster est multiplex, vel enim affectio *splenetica*, quæ in splene radicitur, vel *mesenterica* quæ in vasis mesaraicis intra ventriculum & hepar, vel *hepatica*, quæ in hepate, *Stomachica* quæ in ventriculo, pyloro, pancreate venisque, ventriculo coherentibus, *hemorrhoidalis* ab hæmorrhoidibus subsistentibus, *hysterica* demum vel *uterina*, in sequiori sexu, quæ, si menses aut quævis uteri purgationes subsistunt, oritur. Alia in vasis dextri, alia in vasis sinistri (quod

B

fre

frequentius contingit) hypochondrii, alia in utroque, alia in va-
sistantum extra viscera, alia in ipsis visceribus.

§. 26. Hisce addunt quidam affectionem hypochondriaco-cardiacam & melancholicam seu phantasticam; illam fieri dicunt si adusti & atrii humores in venis & arteriis majoribus aut pericardio cumulantur; hanc autem ex prædictarum specierum complexu, humorumque multorum in sinistro præcipuè hypochondrio collectione.

§. 27. Verùm hæ duæ species non videntur esse admittendæ: Cardiacæ enim quâ ratione posset ad affectiones hypochondriacas referri, cum cor cum venis & arteriis vicinis non in hypochondriis [quod tamen necessariò requiritur] sed in thorace situm sit, non video. Melancholia si affectioni hypochondriacæ supervenit, symptoma est, & fit, si vapores opaci & tenebricosi ex hypochondriis ascendunt, spiritibusque animalibus miscentur, ut delirent hoc morbo laborantes; & sic peculiarem differentiam nostri morbi nequit constituere: Potius erit melancholiæ per consensum, quæ in maniam sæpe degenerat, quàm affectionis hypochondriacæ differentia.

§. 28. A causa *αἰσθητικῆς* differentia totuplex est, quotuplex causa ipsa, hinc ab humore maximè peccante, vel serosa, biliosa, pituitosa vel melancholica, à mistis etiam humoribus mixta erit; alia item hæreditaria, alia à causis post ortum contracta.

§. 29. Absolutis ita mali nostri differentiis progredimur ad signa diagnostica, distinctiva, & prognostica. De singulis tamen breviter.

§. 30. Morbi autem naturam indicantia signa, diagnostica dicta, exhibentur à plurimis symptomatibus partium naturalium, vitalium & animalium, ut & causis. Inter illa sunt: *Murmura & rugitus ventris* quæ in hypochondriis præcipuè sinistro, & quidem in cavitate illa, quæ sub diaphragmate ex ventriculi omenti, coli & viscerum connexionem oritur, sæpissimè audiuntur.

§. 31. *Ructus acidi & sonori* à ventriculo cibum malè coquente nec in bonum chylum commutante, orti; qui chylus dum nimis

mis

nis aqvosus & viscidus, nec ab intestinis, nec venis mesaraicis, utpote ingratus, & alendo corpori inutilis, adtrahitur, evenit, ut materia ibi relicta ebulliat, ferveat & per os eructetur. *Flatus* etiam huic malo admodum frequentes sunt, qui à calore debili & materiâ humidâ generantur: Inde est, quod hæc affectio Diocli Carystio flatuosa audiatur, quamvis & calor auctus flatus progignere possit, ut habet *D. Senn. in Paralip.*

§. 32. *Copiosa & frequentes salivationes*, hinc verissimus videtur Venerandi Hippocratis aphorismus; *Si quis multum & frequenter exspuat, hoc est hypochondriacum.* Hæc autem salivationes proveniunt ab imbecilli facultate concoctrice, quæ cibum non aliter, quam in salivalem ejusmodi humiditatem commutare valet, à cuius copia os adeò sæpe repletur, ut non possint non ejectare hoc malo tentati. Non rarò etiam lien ipse, sanguinem serosum elaborans per vas breve dictum ventriculo transmittit hanc salivationis materiam. *vid. Conringium in Tr. d. Motu sangv. & Carolum Pisonem de serosa colluvie.*

§. 33. *ἀσπεία & ventriculi imbecillitas*, hæc in omnibus ferè hypochondriacis adest, quod observarunt magni nominis Medici quamplurimi, imò tantus ejus sæpè dolor, qui ad dorsum vel lumbos usque procedit, ut ab ipsis ægris, & incautis Medicis pro renum dolore habeatur. Multi incusant solum ventriculum, cum tamen ut plurimum hujus morbi vitium ibi non hæreat.

§. 34. *Alvus plerumq; adstricta* ob viscerum, vasorumque in hypochondriis caliditatem & siccitatem, quæ humores viscidos & pituitosos generant, viam excrementis & flatibus quasi intercludentes, quos deinde vis expultrix nisi medicamentis adjuncta, rejicere vix valet. Experientia tamen edocuit, aliquando etiam hypochondriacis alvum laxiorem subvenisse, ubi humores acriores & exasperati fuerunt; ut in his fieri solet, qui simul scorbuti tormina experiuntur.

§. 35. *Urina vel crassa vel tenuis*, illa, ob materiæ adustæ admixtionem turbida, sæculenta, rubicunda & acris: Hæc, ob humores meatus urinarios obsidentes, talis apparet, & indicium est ob flatuum, & materiæ detentionem, calorisque incremen-

tum, paroxyfmi jam jam imminentis. Crassa urina sæpius in hoc morbo & nigra Medicis conspicienda præbetur, quanquam pro signo malo semper & absolute non habenda, cum natura tunc temporis humores melancholicos expellere, ægrumque à malo liberare nitatur.

§. 36. *Fervor & æstus in hypochondriis* inflammatorius nunc in utroque, nunc in alterutro solùm, ab humoribus calidis, & fervidis ibidem præclusis, qui ubi postea agitantur & fermentantur, vapores ascendere faciunt, unde facies tota & genæ rubescunt. Sæpe ubi vapores ex nimio potu per totum corpus disperguntur, ephemera quasi febre ægri corripuntur, quæ mox, vaporibus per sudorem discussis, evanescit. Imò pro qualitate & quantitate horum vaporum si nervis affligant, Lingva quibusdam rigere videtur.

§. 37. *Vomitus* etiam ciborum nondum concoctorum, quo tamen appetitus hypochondriacorum non prosternitur, sed mox cibum potumque post vomitum rursus assumunt, quanquam in inveterato malo nullus quandoque appetitus deprehenditur.

§. 38. Cordis anxietas, & palpitatio, animique deliquium, quæ ex humoribus pravis per ramum arteriæ celiacæ ad cor ascendentibus oriuntur: In quibus iterum expellendis dum cor occupatur, celer adeò & præternaturalis cordis & arteriarum excitatur pulsus, ut de interna anxietate ægroti conquesti in animi deliquium incidant. *Pulsatio* etiam ob frequentiore[m] arteriarum Systolem & diastolen, in sinistro imprimis hypochondrio adesse solet, imprimis in malo inveterato, & ubi æger vel ira accenditur, vel motui vehementiori vacuerit, vel vino generoso potuque largiori incaluerit. Interdum, si præsertim hæc pulsatio est continua, sequitur aneurisma ex arteriæ celiacæ aut alterius cujusdam arteriæ insignioris dilatatione; ut observavit *Riverius l. 12. Prax. & Fallop lib. d. Tumorib. c. 14. & Paræus in Thorace aneurisma* tale descripsit l. 6. c. 28.

§. 39. *Respiratio* deniq; *difficilis*, pectoris dolor & constrictio, ubi crassi humores per venas & arterias in musculorum intercostalium spatia effunduntur, nervique pectoris musculis dicati affici-

afficiuntur, & vapores ex crudis humoribus partim in ventriculo partim in hypochondriis collecti, diaphragma comprimunt.

§. 40. Plurima hisce tùm signa tùm symptomata possunt annumerari, qualia sunt: vertigo, lassitudo spontanea, caligo oculorum, sonitus aurium, brachiorum & crurum dolor, deliria, melancholia, dolor capitis, hæmorrhagia narium, mœstitia, suppressio mensium, scabies, hydrops, erisypelas & epilepsia; Sed hæc omnia, nec simul, nec quovis tempore, nec omnibus hypochondriacis adsunt, saltem hæc in his, illa in illis, in his plura, in illis pauciora apparent pro morbo vel fiente vel facto. Jam ad signa distinctiva, & quidem.

§. 41. Si in *ventriculo* mali nostri causa residet, aderunt coctio vitiosa, copiosa & frequentes salivationes, vomitus, cordis anxietas, dolor capitis, orificiæ ventriculi vellicatio, faucium dolor, ructus nidorosi, rugitus in hypochondriis & murmura.

§. 42. Si *ab hepate* provenit, tensio, durities & dolor in dextro hypochondrio, vomitus biliosi & æruginosi, dolor in humero & claviculis, urina nimium tincta, sitis intensa, maxillarum rubor, carnisque fastidium.

§. 43. Si in *liene*; deprehenditur ejus durities, inflatio ventriculi & lienis post pastum, difficultas item anhelitus, ex copiosis in diaphragmate coacervatis humoribus orta, nervi ac ligamenta in cervice molestè contrahuntur, (humor enim melancholicus nervos suâ naturâ contrahere dicitur) facies malè est colorata, & vel citrina, pallida aut nigra, fames interdum canina ob humores acidos è liene in ventriculum ascendentes.

§. 44. Si in *vasis* saltem inter ventriculum, lienem & hepar, horis aliquot post cibum sumptum, flatus, rugitus & dolores sentiuntur, nullus autem tumor in hypochondriis advertitur.

§. 45. Si in *utero*, mensium aderit suppressio & frequens in ventre inferiore rugitus. Aliarum partium, causarumque signa poterit tùm ex symptomatibus, tùm ex docta vel artitiosa conjectura, nec non ægrorum relatione Euporista assequi & colligere. Tantum de signis communibus, pathognomonicis, & in specie morbum distinguentibus.

§. 46. Pergimus jam ad alia signa exitum morbi præfagientia, & inde Medicis dicta *Prognostica*.

§. 47. *Ratione salutis*; Morbus incipiens facilius est curatu, confirmat^o verò difficilis curationis, & hoc vel ob materiam peccantis contumaciam, quæ cum reliquis humoribus collata ad educationem est ineptissima, vel propter membra nobilliora patientia, præcipuè in mulieribus, quia conjuncta melancholice pravitas cum aliorum morborum malitia ipsos pessimos facit.

§. 48. *Ratione subjecti*; mitius malum est, si putredo humorem adustum adhuc intra vasa contentum invadit, sic enim vel in quartanam mutatur, vel hepatis lienique tumorem infert; Gravius est quod plura viscera occupat, multò gravius, quod duritiem & scirrhum visceribus contrahit: crebrius mares quam femine hoc morbo corripuntur, quorum illi facilius, hæ difficiliter curantur. Difficilis est ille affectus, ubi materia in cavitate omenti continetur, inde enim exitum non habet, sed inclusa detinetur, nec purgantibus facile exturbari potest. Mitior, si in dextro hypochondrio, gravior si in sinistro causa sit, multò gravior, si utrumque hypochondriorum sit durum. Facilis ubi lien per consensum, gravior ubi per essentiam laborat; gravissimus omnium est, in quo jecoris, lienis & ventriculi est *ἀντιπροσξίς*.

§. 49. *Ratione cause*: Si malum à melancholia adusta oritur, difficiliter est; quod verò ab humore melancholico naturali, facilius curatu. Periculosum est, ex pluribus humoribus mixtum. Contumacius, quod ex hæreditaria dispositione provenit.

§. 50. *Ratione durationis*; Morbus nisi primò statim, quod ajunt, herbà extirpetur, chronicus evadit, & plurimi vitam sedentariam agentes, imprimis Literati, plurimos annos ad extremum usque halitum illo divexantur, ex symptomatum etiam complicatione, ægro & Medico multum negotii sæpe facescit, ut longius ita tempus ad ejus curationem requiratur. Hyberno tempore minus affligit, atque verno & autumnali; ver enim sopitos humores quasi excitat & sanguini permiscet.

§. 51. *Ratione modi eventus*, & quidem ad salutem, terminatur: Si causa morbifica à calore naturali satis robusto superatur, & à nobilioribus ad ignobilia ablegatur; Solvitur morbus

bus

bus vel per hæmorrhoides, varices, elephantiasin aut mensium fluxum supervenientem. Fluxus ventris moderatus, ut & hæmorrhoidum humores peccantes evacuari denunciant, præsertim qui in Liene collecti. Alvus lubrica & urina cum sedimento crassa hypochondriacis prodest. Vomitus cum *εὐφορία* etiam bono sunt, aut si vitiligines per corpus erumpant.

§. 52. *Ad mortem*: Quando medicamenta nihil juvant, & morbus sit inveteratus, tunc comites vel scorbutum, hydropem, cæcitatem, apoplexiam, febrem quartanam, epilepsiã, melancholiam & maniam nasciscitur. Fluxus ventris & hæmorrhoidum nimii & perseverantes, periculum denunciant, ob humoris per intestina defluentis acrimoniam, quã virtus & calor naturalis eorundem destruitur. Urina tenuis & aquosa malum est, morbo hæreditarius incurabilis est, aut certè curatu difficillimus. Ulcera in hypochondriorum corporibus erumpentia mortem vicinam esse arguunt.

§. 53. Expositis jam & perceptis cum morbo tum ejus causis & differentiis, procedimus ad methodum medendi, quæ indicationibus tanquam instrumentis ad invenienda pro curatione morborum remedia, utitur.

§. 54. Illæ indicationes triplices potissimum sunt: Præservatoria, vitalis & curatoria. Hæc affectum immediatè tollere jubet; Illa vitalem facultatem respicit, ut viscerum status naturalis in vigore per alimenta & medicamenta conservetur & corroboretur. Ista causam in hypochondriis & primis viis stagnantem aufert, præmissis tamen præmittendis, sic humores qualitate & quantitate peccantes, ut *¶*rei, melancholici ex terminentur, crassi & viscosi incidantur & attenuentur, calidi & frigidi contrariis corrigantur, vapores ad nobiliores partes cor sc. & caput ascendentes frictionibus vel balneis, ligaturis aut cauteriis discutiantur.

§. 55. Materia proinde præsidiorum ex tribus usitatis fontibus hauriatur; *Chirurgico, Pharmaceutico & dietetico.*

§. 56. Ex *Chirurgico*. *Vena sectio*, si calor hepatis & lienis nimius adsit cum plethora, & magna pars materiæ peccantis in vena cava hæreat, utiq; est admittenda. Secunda a. erit jecoraria dextri, si hepar; Sinistri, si lien peccet, ut ita dextra dextris, sinistra sinistris respondeant. Multi commendant *salvatellam*, par-

tim

tū ob maximam cum liene convenientiam, secundum quosdā, partim etiam, ut serosa colluvies citius possit evacuari, & reliqua massa sanguinea liberius ventilari. Si malum à mensium suppressione ortum, *saphena* circa talos incidatur. Si materia vitiosa in venis venæ portæ hæreat, & natura per has vias evacuari asseverata sit, hæmorrhoidales internæ, si non fluunt, arte aperiantur, externæ verò, quæ à venæ cavæ ramo hypogastrico originem habent, si tument, aperiantur, cum sæpius in hoc morbo quàm internæ fluere soleant, per has enim non tantum plethora, sed & cacochymia & vitiosi humores sunt expurgandi. Cucurbitulæ scarificatæ ad evacuationem, cœcæ verò ad revulsionem, flatuumq; discussionem cum magna utilitate possunt adhiberi. Fonticuli etiam ad præservandum, revellendum & derivandum cum actuali tum potenciali cauterio, in primis in brachio circa finem deltoidis, ubi caput valde in consensum trahitur, possunt infigi.

§. 56. Ex *Pharmaceutico* primo loco purgantia, quæ prius leniora sint, ut materiam morbificam in primis viis saltem & quæ circa has contenta evacuent, exhibeantur, dico *leniora*, nam fortiora malum adaugent, juvat itaque hinc evacuare per *ἐπιπάσιον* & admiscere, vel præmittere purgantibus præparantia, alterantia, prout partes affectæ, vel causa mali postulat. Notandum etiam quod medicamenta in forma liquida propinata majoris sint efficaciam, quàm in alia, quod Practicus quivis experitur. Sunt autem leniora in officinis notissima, e. g. Syrup. ros. & viol. solutiv. syr. d. fumar. compos. (simplex non purgat) d. pom. Regis Sabor syr. d. epithym. fl. genist. diafer. Andernaci. Sed quia dulcedo in his eximia, idcirco, monente *Dornercilio* in præfat. dispensat. *ne ledant magis, copiosè non sumendi*. Pertinent hinc etiam Electuaria, Essentiæ vegetabilium, Decocta, Infusa, & Noduli ex lenientibus & aperientibus facti.

§. 57. His si malum non cedit, ut plerumq; fieri consuevit, sequantur validiora, ubi catholica non tantum, sed & specificè purgantia locum habent, ut: Elix. propr. purg. Extr. panchymag. Croll. & Hartm. Extr. elleb. n. pulv. catholic. purg. pulvis Cornachini. pilul. antihypochondr. ☿reæ, hydropicæ Bötii d. cent. resin. gialap. scamon. magist. g. gotte. vitr. ☿nii purg. ☿ sublimatus dulcis, ☿ præcipitatus albus vulgaris, ☿ præcipitatus cum ☉. fl. ☿nii correct.

reā. &c. Quorū plurima *Magnificus & Excellentissimus Dn. D. Mi-*
chaël, Præceptor meus Honoratissimus, mira arte & dexteritate com-
posita publicæ in collegio nostro Rolfinckiano utilitatis fecit.
Ubi tamen semper ad humores præcipuè peccantes respicien-
dum est, ut speciali peccanti specificum educens adhibeatur.

§. 58. Vomitoria item & quidem ab initio commodissimè sunt
exhibenda, in primis si ventriculus excrementis abundans non sit
debilis, & *ὡς* æger evacuari assuetus, imò per sæpe necessaria; ubi
sc. humores in primis viis hærentes propter *ἀναρρωτίαν* per infe-
riora purgantibus expelli non possint, quæ vomitu tamen facilius
rejiuntur, talia sunt: Coagulum asar. extract. ellebor. n. ▽ bene-
dict. Ruland. Essent. genist. Plater. Electuar. diasar. Fernel. syr.
emetic. Salæ. ⊕ lum alb. vomitiv. ⊕ ⊕ li, Croc. metallor. & alia
in officinis nota.

§. 59. Clysteres hîc etiam leniores commendantur, qui humo-
ribus excrementitiis, flatibusq; viâ aperiunt, & in venis mesaraicis
coll. ctam humorum sentinam exhauriunt & quasi revellunt. Pos-
sunt hi ex variis emollientibus, aperientibus, incidentibus, carmi-
nantibus, abstergentibus & revellentibus componi; Materia ho-
rum enematum nulli Practicorum potest esse ignota, vide sis ita-
que Promptuaria: pro conditione tamen materiæ, & ipsius ma-
li possunt etiam fortiora injici, ut, ex pulp. colocynth. Infuso vitr.
⊕ nii croc. metallor. &c. ut habet Hartman. praxis, præsertim si ob-
structio alvi sit contumax; Sic enim non solum alvus aperitur, sed
etiam si sint clysteres acres, (in primis ubi opus) hæmorrhoides
excitantur felici cum successu, ut observavit *Levinus Fischerus* in
consilio Hypochondriaco p. m. 68. Imò nos cum *Hercule de Saxonia*
in hac planè sumus opinione, quod fundamentum totius curatio-
nis, cæteris tamen paribus, consistat in legitima & iterata clysmat-
um applicatione.

§. 60. Primis viis sic evacuatis, opera sedulò danda ut reliquæ
materiæ peccantis præparentur, & obstructions referentur. Obti-
nemus hoc aperitivis, quæ vide in libris de materia Medica, vel
digestivis potissimum ex ♀ ro præparatis, ut cremor ♀, Crystall.
♀, ♀ rus ⊕ latus, magister. ♀ ri, terra foliata ♀ ri, ▽ deoppila-
tiv. Hartm. spir. Tartari, aperitiv. Penot. Elix. propr. cum succ.
herbar. D. Senn. ⊕ lia it. hypochondriaca, ut genist. fraxin. centaur.
C fumar.

fumar. absinth &c. De quibus *Higmorus* ita scribit p. 129. d. A. H. Magni hæc salia in curatione sunt valoris. Nã succos figendo & precipitando acidos, fermentationem tollunt, atq; sic sine tumultu & turbatione cibi in ventriculo dissolvuntur, & sanguis per totum pacoatus circulatur microcosmum. Qua occasione multa dici possent de precipitantibus & sanguinem purificantibus, sed tribus jam tetigi, plura suo tempore.

§. 61. Et prout supra innui, quia natura non rarò molitur evacuationem materiae peccantis per urinam, Medicus iam imitari & adjuvare debet, per diuretica approbata, laudantur præter vulgaria seqq. Spir. ☉, spir. ♀, spir. ☽. Philosoph. in quo ocul. 69. sunt dissolut. TRa ♀, ♀ ☽ lat. oxymel diureticum Hartman. vina diuretica, liquor it. nephriticus *Famigeratissimi Dn. D. Michaelis &c.*

§ 62. Interdum etiam adhibentur diaphoretica, sed cum cautela, ne subtiliores materiae peccantis partes evaporent, relictis crassioribus, sic n. obstructions, & per consequens ipsum malum augetur, itaq; semper post universalia adhibenda. Probatissima sunt bezoardicum minerale, ☿iale, ☉lare ☿ium diaphoreticum, pulv. bezoardic. Senn. & *Magnif. Dn. D. Michaelis*, aqua theriacalis, Tinct. bezoardica, vel mixtura simplex, quæ parium planè virtutum cum illa. Reliqua suo videantur loco, omnia enim hic adducere, nostrum non fert institutum

§. 63. Specifica in affectu hypochondriaco qualitate alterantia medicamenta ex omnium tum antiquorum, tum modernorum Medicorum consensu sunt Chalybeata, quæ cum humoribus melancholicis & adusti maximam cognationem habere, eas attrahere vel imbibere, ac cum iis uniti posse videntur. Hinc *Claudin. respons 29: Chalybem vocat, proprium affectu hypochondriaci alexipharmacum*; & porro de ingressu ad infirmos ait: *Sect. 2. quod in hoc affectu curando nullum sibi par medicamentum habeat, imo in plerisque Liberi imperii Civitatibus nihil frequentius est in hoc morbo, als die Stahl Cur/habeturq; pro extremo remedio, quando reliquis Medicis nihil proficere videtur. vid. Zacut. d. Med. Princ. hist. l. 1. hist. 82. dub. 51.*

§. 64. Forum utendi modus varius omninò est: Veteres chalybem in nuda substantia pulverisatū, vel limatum solū, vel limatū
in

in aceto maceratum & siccatum simul exhibuerunt. Hodie electuaria, oxymel, syrapi, pilulæ & vina chalybeata multa conficiuntur, & magno cum usu adhibentur, vid. Dispensatoria.

§. 65. Præstantissima tn. & utiliora ex chalybe medicamenta ad hunc morbum à Chymicis præparantur, quæ omnia ritè *Magnif. & Experientiff. Dn. D. Michaël* secum habet, ut *Olum Martis, croc. Martis cum Olibus aperitiv. croc. saccharinus, essent. aperitiv. Eff. Martis cum succ. pom. borsdorf. &* (quæ in omnibus hypochondriorum morbis est commendatissima) *TRA Martis Zvölferi, hæc n. viscerum & vasorum obstructions reserat, crassos & præios humores dissolvit, ut pro summo arcano sit habenda. Similium virium sunt: Eiusdem ess. splenet. & essent. lignor. spir. aperitiv. Penoti, mixtura simplex, Eff. fumar. compos. Et hæc quia contra hunc affectum probatam energiam sæpius exhibuerunt, ad alia confugere minime erit opus. Roder. à Fonseca in suis Consultationibus duos ex officina Quercet. pulveres commendat, alterum polychrestum, alterum cachecticum dictum, qui inde possunt peti, habent illi limatur Martis pro basi. De modo, quo Chalybeata operantur, nemo hæcenus dubitavit, quia scilicet. Experientia aperitivum effectum multoties ad oculum demonstravit. Higmoreus a. in Exercitatione de Aff. hyp. paradoxo quid sentire videtur, dum stypticitati in Marte, vel Olio Martis hunc effectum adscribit. Rationes habet egregias, quas vid. p. 133. 136.*

§. 66. Differentia in hoc malo probè est attendenda, an vel stomachicum, spleneticum aut hæmorrhoidale &c. sit: sic n. in præscribendis medicamentis specificè partibus per *deuteronia deia* affectis succurrere possumus; & pro re nata corroborantibus subvenire, quod si negligitur, malum sobinde radices aget altiores. De Topicis nil addo, quia pro necessitate possunt semper præscribi.

§. 67. Quid Thermæ præstent & Acidulæ, prolixius hinc non enumerabo, nam actum agerem. Hoc solum moneo, quod *δοκιμασία* acidularum probè sit instituenda, ut cognoscatur, quorumnam mineralium facultatibus istæ sint imbutæ; Hæc n. ratione statim iudicium ferre poterit Medicus, utrum huic vel isti patienti hæc vel illæ conveniant. De Acidul. vid. egreg. *Tractat Sebizii*, & in specie de Spadaniis, *Henr. ab Heer*, de Svalbacensib. quam plures, seorsim verò *Helvicum Dietericum*.

§. 68. Ingeniosi quidam Medici ex probatione istâ naturalium didicerunt præparare artificiales, quas in defectu illarum in hoc &

aliis morbis cum insigni fructu adhibuerunt. Et quamvis Petrus à Castro, Albertus Kyperus, & Zvvölferus, aliive, peculiare quid in hac præparatione jactitent, in genere tñ. omnes ex ♂ proveniunt superfusis spiritib. acidis. Pertinet etiam huc Clyffus ḡni, & aqua stimmi ¶rea, si cum crystall. ♂tis acuitur. Vid. *Schröder. Pharmacop. l. 3. p. 440.*

§.69. *Fons Diæticus* seqq. suppeditat, nempe ut ratio potus & cibi, aliarumque rerum non naturalium habeatur contraria illis, quæ §. 17. & seqq. dicta sunt, & sic eligantur cibi boni succi & facilis concoctionis; carnes sint agnina, vervecina, gallinacea, non pingues, caponum, bubulæ juniores, leporina, corticibus aurantium, capparibus, cinamomo, cumino, croco aut passulis coctæ, pisces sint saxatiles & fluviatiles, ut lupi, perca, funduli &c. fructus sint passulæ, amygdala, poma borsdorffiana, pistacia, pyramoschatellina, cerasa nigra, cynosbati. Aves sint palumbi, perdices, merulæ, turdi, turtures, legumina; hordeum & avena in jure carnis cujusdam prædictæ cocta, ova tremula & forbilia, caseus, edulia dulcia, & acida copiosè sumpta obsunt, quia ζύμωσις excitant secundum quosdam, sed hac ratione nec in curatione deberent adhiberi. Potus sit cerëvisiæ defœcata, quibus vel veronica, absinthium, scolopendr. agrimonia aut similes herbæ aperitivæ sunt incoctæ. Vinum tenue, lymphis jugalatum & medicatum. Aqua item in qua chalybs extinctus est, commendatur. Uno verbo in diæta prodest juxta *consilium Brunneri; Ægrotus sibi sit ipse Medicus, cibos observet & assumat, quos tolerare & optimè coquere se posse advertit, nec n. tam refert quàm boni cibi exhibeantur, quàm, quàm benè coquantur; siquidem cibi etiam boni, si non ritè coquantur, plus nocent, quàm deteriores si benè coquantur, juxta illud Hippocratis: Cibus & potus paulò deterior, suavior tamen, melioribus quidem, sed insuavioribus est anteponendus.*

§.70. Aër sit temperatus & quodammodo humidus. Somnus tempestivus & mediocris, nec tñ. mox à cœna ineundus. Vigiliæ vitentur præprimis immoderata & nocturnæ. Exercitium sit moderatū & tempestivum. Quies & vita sedentaria exulent. Alvus sit aperta, si non, suppositorio quodam aut clysmate leniori adjuvanda. Animi pathemata deniq; & quævis (ut supra monuimus) perturbationes relegentur. Hæc de *affectione hypochondriaca* breviter & παχυλῶς proposuisse sufficiant, meliora meliores.

Δ. Τ. Θ.

VD 17

[Faint, illegible handwritten text in a historical script, possibly Gothic or similar, covering the left half of the page.]



